

812  
12

ASSERTIONES IVRIDICÆ.

DE TUTELIS.

Quas

Diuinâ adspirante gratiâ.

AVTORITATE,

NEC NON CONSENSV ET

APPROBATIONE NOBILIVM CLA-

RRISSIMORVM, CONSULTISSIMO-

rumque, Amplissimi Collegij Iuridici, Dominorum,

Procerum, & Antecessorum, in florentissimâ

ac peruetustâ Archiducali Friburgen-

si Harelongorum Academ-

mia, &c.

SVB PRAESIDIO.

NOBILIS, CLARISSIMI,

CONSULTISSIMO VE VIRI DOMINI

Sigismundi VVitum, V. I. D. Imperialium

Institutionum Professoris ordinarij, &c.

Addiem 13. Octob. exercendi ingenij gratiâ ho-

ra locoq; consuetis, discutendas proponit.

EBERHARDVS LOYS SPIREN-

SIS NEMETANVS.


FRIBURGI BRISGOIAE.

Ex Typographeo MARTINI BÖCKLERI.

Anno M. DC. VIII.

1000 1000





REVERENDIS-  
SIMO AC ILLV-  
STRISSIMO PRINCIPI AC DO-  
MINO, DOMINO EBERHARDO EPISCO-  
PO SPIRENSI PRÆPOSITO VVEISSEN BVR-  
gensī, nec non Sacrae Cæsareae Maiestati à consilijs, ac  
Camerae imperialis Iudici supremo, &c. Pa-  
tronō suo gratiosissimo, ac Domi-  
no Clementissimo.

**A** Pud Athenienses, Reverendissi-  
me atque Illusterrime Princeps,  
Domine Clementissime, Viros  
sapientissimos, & à quibus omnis  
legum, reliquarumque liberalium artium disci-  
plina manauit; lex erat sanctissima, que in-  
grati animi crimine damnatos, non secus ac  
impios, & Deorum immortalium contempto-  
res, puniri iubebat: & meritò me hercule. Nam  
cum natura sita comparatum, ut à quibus  
acceperimus beneficia, gratiam referamus, vel  
A. 2. saltem.

## EPISTOLA

saltem habeamus; ijs verò maximè quis se erga  
nos, veleducatione, vel alius quibuscunqz modis  
quasi parentes ostendere; Et id ipsum non ciui-  
lis naturalis vè ratio suadeat duntaxat, ve-  
rum congenita quoqz Et innata nobis mortali-  
bus aequitatis ratio dictitat atqz postulet, opti-  
meqz Reipub: ac Patriæ consulentibus nos  
gratos pro viribus ostendere fuerit semper lau-  
dabile ac honorificum, debet profecto vnus-  
quisqz nostrum, qui naturam viuendi ducem  
sequitur optimam; quiqz bonis viris placere  
studet, manibus, ac pedibus, dies atqz noctes  
conari, ut non modo tam nefario crimine, sed  
Et criminis suspicione careat; quo ipso maior  
homini iniuria inferri nequit. Iuxta illud, in-  
gratum si dixeris, omnia vitia dixeris. Cogi-  
tanti igitur mihi quâ ratione huiusmodi in-  
gratitudinis vitium Et suspicionem effugere  
possem, una hæc mihi visa est certissima ratio;  
si aliquod specimen ingeniali mei præberem,  
quo, quæ, quantuè à primo etatis exordio  
à Reuerendissimâ ac Illustrisimâ Celsitudine  
Vestra in me, meosqz proœcta sint beneficiare  
centi hærere memoriam, significarem. Quare  
base

## DEDICATORIA.

hasce per exiguae assertiones de tutelis (quarum  
concessionem Imperator Iustinianus religio-  
fissimo Episcoporum ordini singulari pruden-  
tiâ commendatam esse voluit) ad disputan-  
dum publicè propositas, eâ, quâ, decet Reue-  
rentiâ, humilitate, ac submissione, unâ cum  
debitis officiis ac seruitiis, Reuerendissimam nec  
non Illustrissimam Celsitudini Vestram, in contesta-  
tionem ac symbolum debitæ meæ gratitudinis  
offerò, dedico, cōsecro, ac inscribo, humiliè of-  
ficiosissimè, deuotissimeq; rogitâs, ut eas, lato a-  
nimo, hilariq; fronte, nō ad muneris exigui-  
tatem, sed ad summam meam, erga Reueren-  
dissimam & Illustrissimam Celsitudinem Ve-  
stram, voluntatem respiciens, suscipere, meq;  
quà solita est hactenus, clementiâ, ac gratiâ,  
prosequi non desistat; suoq; auxilio egentem tu-  
tari, me, meosq; conatus, ac studia, uti hacte-  
nus, ita & in posterum, iuuare, promouere, de-  
fendere, ac souere, non dedignetur. Omnem  
projecto mouebo lapidem, quo ad usurâ lucis  
perfruar, nè in ingrati crimen incidam. Quod  
si Reuerendissimam ac Illustrissimam Celsitu-  
dinem Vestram eas, quâ spero, benevolentia

EPIST. DEDIC.


accepisse, cognouero; sub vestro fælicissimo nomine maiora forsan aggredi non dubitabo.

Summus illererum opifex Deus, ut Reuerendissima ac Illustrissima Celsitudo vestra, muneri huic amplissimo ad Nestoreos usq; annos optata valetudine, ac tranquillâ administratione quam fælicissimè præst: Decus, ornementum, ac lumen patriæ, nec non Ecclesiæ Catholice, ac Reipub: Christianæ salutaris ut viuat, eà, quæ possum animi deuotione exopto. Friburgi Brisgoiae. 13. Octobris. Anno restauratae ac recuperatae salutis humanae, Millesimo, sexcentesimo, octauo.

Reuerendissimæ & Illustrissimæ  
Celsitudinis Vestræ.

Subiectissimus, Humilimus & obsequent,  
Cliens, ac subditus,

Eberhardus Loys. I. v. st.



# DISPV TATIO IV. RIDICA, DE TVTELIS.

T H E S I S I.

 VM omnis, quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debeat à definitione profici sci, vt intelligatur quid sit id, de quo disputetur, (A) operæ pretium facturi videmur, si tutelæ definitionē in genere fronti disputationis nostræ proponamus, & postmodum singulas eius species examinemus.

(A) *Cicero in off. lib. I.*

II.

Definitur Tutela vis ac potestas in capite libero, ad tuendum eum, qui se propter ætatem defendere nequit, iure ciuili data ac permissa.

*§. I. instit. hoc. tjt. & L. i. ff. de testament. Tut.*

III.

Causa efficiens tutelæ triplex est, testamentum sc: Lex, Magistratus; indeque species nascuntur tres. Testamentaria videlicet legitima & Datiua. (B) Et quidem cum inter has Testamentaria principalior sit, quia constituto testamentario tute reliqui excluduntur. (c) libuit ab hac exordiri.

(B) *per l. generaliter. C. de Episc. & Cler.*

(c) *Auth. Matri & auia C. quando mulier off. tut. fungi posse.*

*De*

# THESES IURIDICAE.

## De Testamentaria tutela.

### I V.

Est autem Testamentaria tutela, potestas à jure ciuili introducta, quâ parentes liberis suis impuberibus in potestate patriâ adhuc constitutis, & post mortem patris, in alterius potestatem non recasuris, non Natis soluin sed & Nascituris testamento, aut codicillis testamento confirmatis tutores dant. (D)

(D) §. permisum est, instit. hoc tit. L. I. & l. 3. ff. de testamento. Tutela l. 2. Co. eodem.

### V.

Solis igitur parentibus masculini sexus liberis suis Tutores dare permisum est. Matres enim cum liberos in potestate non habeant: (E) tutores testamento liberis non nisi hæreditibus institutis dare possunt: (F) quasi causæ, non personæ dare intelligantur (G) Patres v. tam ex hæredatis, quam institutis, tutores constituere possunt. (H)

(E) §. fin. instit. de patria potest.

(F) l. mater. C. de Testamento. tut l. pater. ff. eodem.

(G) d. L. pater. vnde et inquire in eum oportet à magistratu, ne infirmitas iudicij fæminei pupillis, vllâ in parte obstat.

(H) d. L. pater. & licet pater in imperfecto testamento dederit tutorem, confirmandus tamen est absq; inquisitione d. L. pater  
§. cum à patre.

### V I.

Emancipatis, & liberis naturalibus tantum in ijs quæ his, quoquo modo à parentibus relinquuntur, tutores quidem dare permittitur, sed ita ut dati sint confirmandi à magistratu.

§. fin. instit. hoc tit. L. vlt. C. de confirm: Tut: eius quidem rei causa est, defectus patriæ potestatis.

### V II.

Dantur autem cum effectu tutores in testamento ij, cum quibus est testamenti factio, ita ut non referat siue sint patres si-

ue filij

## THESES IVRIDICA.

ue filij familias (I) mutis & surdis tamen (K) item feminis & alijs quibusdam personis exceptis: (L):

(I): *L. testament. 21. ff. de testament. tut.*

(K) *glos. in pr. Instit. qui testamento Tut. dare possunt. L. i. in fine ff. de tut.*

(L) *L. i. C. quando mul. off. &c. Hodiè tamen mater & auia renuntians inter gesta secundis nuptiis. S. Cto. Velleiano, aliisq; priuilegiis, deficiente testament. Tut. etiam legitimis præfertur auth. matri & auiae. C. quando mul. off. &c. & quam primum ad secundas nuptias transferit à tutelâ remouebitur. L. i. & auth. eisdem pœnis. c. de secundis nuptiis.*

## VIII.

Illud non interest an ad certum tempus, vel ex certo tempore vel sub conditione, vel ante hæredis institutionem in testamento detur tutor.

*§. ad certum tempus Instit. qui testament. tut &c. L. si Tutor. 8. ff. de testament. tut idq; in testamentario tute ore singulare est, L. actus. de Reg. Iur. L. muto. 6. §. sub conditione ff. de tut. Myns. in d. §. ad certum tempus. n. 4.*

## IX.

Ac siquidem sub conditione vel ex certo tempore Tutor datus sit, medio tempore alius dandus erit, quamvis legitimum tutorem pupillus habeat. Nam quamdiu testamentaria tutela speratur, legitimæ locus non relinquitur.

*L. si quis sub conditione. II. ff. de Testament. tut. §. sed et si Instit. de Attil. Tut.*

## X.

Deficiente igitur testamentaria tutela, quod contingit si nullus omnino tutor testamento datus sit, vel nulla spes testamentarij tutoris subsit, tunc nè pupilli & ipsorum bona negligantur ipso iure legitima tutela succedit, quæ ex prouisione legis, absq; aliquo vel Testatoris, vel Iudicis facto certis quibusdam personis defertur.

*L. i. ff. de leg. tut in pr. instit. de legitimatut. Agnat.*

## THESES IURIDICÆ.

### De legitima Agnatorum Tutela.

#### X I.

Vocantur autē disertis verbis legis. 12. tab. ad leg. tut. proximi Agnati. (A) Hodè iure nouissimo etiam cognati (B) quia communi iure successionis vtuntur.

(A) d. L. 1.

(B) Nouell. 118. §. ex his auth. matri C. qn. mul. tut. off. Auth. sicut. C. de leg. tut. d. L. quo tutcla. 73. de R. I.

### De Legitima Patronorum Tutela.

#### X II.

Ex interpretatione legis nata est legitima patronorum tutela: ad exemplum huius verò legitima Parentum, & ea quam fiduciariam appellamus.

Cum n. lex. 12. tab. Patronis bona libertorum intestato decedentium nominatim decernat perindè accepta est, ac si tutelam detulisset.

### De Legitima Parentum Tutela.

#### X III.

Legitimam suorum liberorum nanciscuntur parentes si eos impuberis emancipauerint, contracta fiducia id est legitima successionis iura sibi referuando.

L. vlt. c. de emancip. liber. §. præterea instit. quibus mod. ius patr. potest. &c.

### De Fiduciaria Tutela.

#### X IV.

Fiduciaria seu fratrum tutela est, cum parentibus, in quorum tutelam filij impuberis emancipati peruenerunt, mortuis, fratres qui in sacris parentum permanserunt, fratrum impuberum emancipatorum, tutelam nanciscuntur.

tot. tit. Instit. de fiduciaria tut. l. 4. ff. de Fid: tut.

#### XV. Cæterum

THESES I V R I D I C A E.  
*De Datiuua Tutela.*

X V.

Cæterum si quis & testamentario & legitimo Tut. destitutus sit, à Magistratu tutorē accipit, qui vel alterius petitione  
(A) vel sua sponte alicui tutorem constituit, quæ tutela datiuā ex eo appellatur, quod à magistratu vel iudice deferatur. (B)

(A) *L. I. §. magistrat. ibi si moniti non sint ff. de magistrat. conu.*

(B) *toto T. instit. de Attiliano tutorē, & L. I. & 3. ff. de tut & curat. datis &c.*

X VI.

Et petere quidem intra annū cogitur primò mater, tam liberis naturalibus & legitimis simul, quam naturalibus tātum  
(C) non solum vt dentur tutores à magistratu, sed etiam vt dati à patre in imperfecto testamento confirmentur. (D) nisi ve-  
lit ab hæreditate illorum ab intestato decedentium excludi. (E)

(C) *L. fin. C. qui petunt tutores vel Curat.*

(D) *L. credendum est. 7 ff. qui petunt tut. vel curat.*

(E) *L. 3. ff. eodem l. 6. & 8. C. eodem L. 2. ff. eodem L. sci-  
ant. IO. C. de leg. hæredibus.*

X VII I I.

Deindè liberti: quorum quidem si hac in re delata fuerit ad Magistratum negligentia vel malitia, puniuntur pro arbitrio iudicis, & qualitate delicti.

*d. L. 2. infine. L. nisi eam 4. C. de administrat. Tut. L. si liber-  
ti. IO. C. eodem.*

X IX.

Non coguntur autem, sed liberâ voluntate tutorem pupillo petere possunt, eius Agnati & Cognati, (F) & qui affinitate iuncti sunt parentibus, tam masculis, quam fæminis: Amita (G) item & educatores puerorum. (H)

(F) *L. penult: C. qui petunt tut. vel Curat.*

(G) *L. amita. C. eodem. (H) d. l. 2.*

X X.

Petendus autem ibi est Tutor, vndē pupillus pro condi-  
tione

## THESES IURIDICAE.

tione parentum originem dicit & domicilium habet, vel ubi facultates possidet.

**L.** *vni. C.* ubi petantur tut. vel curat. *Myns.* in §. sed hoc iure. num. 4. *instit.* de Attil. *Tut.* Hinc si pupillus alibi domicilium sortiatur, alibi, deniq; facultates possideat, dubium est, cuius nam loci iudex tutorem constituere possit? Arbitramur utrumuis iudicem competentem fore. *Afferente.* Bart. in l. pupillo. 27. ff. de tut. & curat &c. per l. propter litem. 21. §. licet. ff. de excus. *Tut.* l. vnicā. *C.* ubi. petantur tutores vel curatores.

### XXI.

Ita implorato officio suo magistratus, siue maior, sine municipalis, dare potest tutores generaliter omnes, qui non prohibentur. Prohibentur autem Furiosi (1) Prodigii: (K) minores 25. annis, (L) muti & surdi: (M) Item luminibus capti: (N) militiae armatae, muneribus occupati: (O) subiecti alterius iurisdictioni: (P) inferuili conditione constituti (Q) creditor vel debitor pupilli: (R) Colonus patrimonialis siue principis, & quicunque aliâs peculiari priuilegio à nuncupatione tutelæ defenduntur.

- (1) *L. furiosus.* ff. de tutelis.
- (K) *L. is cui ff. de Verb. obligatio.*
- (L) *L. nemo C. de leg. tut.*
- (M) *L. I. §. mutus. ff. de tut. L. penult. §. surdus ff. de legit. Tut.*
- (N) *L. luminibus C. qui dare tut. vel curat. possunt.*
- (O) *l. militiae Cod. eodem.*
- (P) *L. neq; à praefide C. eodem. d. l. 3. l. inferuili C. eodem.*
- (Q) *Auth. minoris. C. eodem. excipiatur mater, auth. ad hæc C. quando mulier offic. &c.*
- (R) *l. ultim. Cod. qui tutores vel curatores. &c.*

### XXII.

Et quidem si pupillus sit illustris olim tutores in urbe à praetore ac decem senatoribus, in prouincijs à curialibus accipiebat (s) Verum hodie si immediate subiaceat imperio à Cam: Imperiali, (T) sin alicui Principi inferiori, ab eius Curiā tutorem consequetur. (v)

(s) *L. I.*

## THESES IURIDICÆ.

- (s) *L. i. C. de tut. Illustrium personarum.*  
(t) *Gail. lib. i. obseruat. i. num. 47.*  
(v) *ita enim. quotidiana praxis testatur.*

### X III I.

Dat autem Magistratus tutores vel inquisitione habita in  
mores, & facultates dandorum, vel ea omessa, ad simplicem  
petitionem.

*Atq; in eo, qui per inquisitionem datus est, haec quatuor veniunt  
consideranda. An sc: hic dederit, qui dare potuit, & ille acce-  
perit cui dandus fuit, & is datus, cuius dandi facultas erat, &  
de-  
niq; pro tribun. decretū interposit. sit l. naturali. 7 ff. de cōfir. Tut.*

### X X IV V.

Et is, qui ex inquisitione maioris magistratus, datus est, sa-  
tisdare non tenetur. (x) sicut nec Testamentarius: qui verò ex  
inquisitiōe minoris magistratus, aut sine inquisitione tam ma-  
ioris, quam minoris, datus est, satisdationē p̄stare indistinctè  
cogitur: (y) sicut & legitimus. (z)

(x) *in princ. instit. de satiad. Tut. vel Curat.*

(y) *§. nos autem instit de Attill. Tut. d. pr. & ibi Schneid.*

(z) *l. legitimos ff. de leg. tut.*

### X X V.

Et haec sanè olim obtinebant, hodie autem omnes indi-  
stinctè siue sint legitimi siue testamentarij siue inquisitione siue  
absque ea dati fuerint satisdare debent.

*Coral. 5. fælicissimæ recordationis in Comitijs Augusta. de anno.*

*154 8. tit. 31. §. 4.*

### X X VI I.

Satisdare autem tenentur, rem pupilli saluam fore datis  
fideiussoribus, vel pignoribus.

*l. non quasi in prin: ff. rem pup. salu. fore l. prætoria. 7 ff. de  
præt. stip. l. i. §. iubet. ff. de bon. coll:*

### X X VII I.

{ Verum ut quis rectè ad administrationem tutelæ succedat,

## THESES IURIDICÆ.

præter satis dationem adhuc tres conditiones in'omni Tutori necessario requiruntur. 1. Ut ei decernatur administratio ex decreto iudicis. (A) 2. Ut mox quam fuerit ordinatus, in præsentiâ personarum publicarum inventarium facultatum pupilli solenniter fieri curet. (B) 3. Ut in ipso tempore decernendæ administrationis, iuramentum præstet, se omnia recte & cum utilitate pupilli gesturum, neque prætermisurum quæ utilia, neque admissurum quæ inutilia fore pupillo existimauerit; (C) insuper specialiter exprimat se omni modo sine ullâ dilatione defensionem pro pupillo in iudicio subiturum esse (D)

(A) L. 3. §. fin. ff. de administrat. vel periculo Tut. Carolus Quintus in Comitijs Augustanis Anno. 1548. **in der polizei Ordnung sub titulo von Pupillen vnd minderjährigen Tutoern vnd Vormündern.**

(B) L. tutores 24. C de administrat. Tut. & nihil autē factum inventarium gerere permittitur, nisi id, quod nec modicam dilationem expectare posset l. tutor. in pr. & §. si tutor. ff. eodem l. decurationibus. C de Episc. audient.

(C) §. fin. in auth. vt ij qui oblig. perhib. res habere min. d. l. decurat. Ang. in pr. instit. de leg tut. Agnat. num. 5.

(D) l. vlt. §. penult C de administrat. Tut.

## XXVIII.

His ita legitimè præcedentibus tutor sine morâ gerere incipiet; cuius quidem officium in duobus potissimum versatur, in personâ pupilli recte educanda atque defendenda, & in authoritate, in omnibus negotijs siue iudicialiter, siue extra iudicialiter, gerendis, vnde damnū pupillo oriri posset præstanta.

## XXIX.

Educandus autem est, pupillus apud matrem, si innupta manserit: si autem nupserit, vel mortua fuerit, apud cognatos, aut eos, quibus prætor hanc prouinciam decernit.

L. penult. ff. vbi pup. educari debeat. l. ynica C eodem

Præterea

# THESES IURIDICAE.

## XXX.

Præterea quod ad educationem attinet Tutori etiam incumbit curare, ut pupillus bonis moribus instituatur, Præceptoribus incedes prodignitate constituatur, alimenta competentia secundum patrimonij vires decernantur.

*L. cum plures §. cum tutor. ff. de administrat. vel peric. Tut.*

*L. 1. C. de alimentis pupillo præst.*

## XXXI.

Et quidem cum tutoris præcipuum officium sit, ne indefensum pupillum relinquat: (E) idcirco ipsemet tutor iudicium suscipiet, si pupillus absens vel infans sit, vel si præsens, & ultra septennium sit, autoritatem præstabit. (F)

(E) *L. tutoris. 31. ff. de administrat. Tut. 1. fin. §. de- fensionem. C. de administrat. Tut. L. vulg. ff. eodem.*

## XXXII.

Contrahenti pupillo licet conditionem suam meliorem facere, etiam sine tutoris autoritate ut V. G. sibi stipulando, vel per traditionem accipiendo: in ijs vero contractibus, in quibus mutuae obligationes oriuntur, Aut alienationes interueniunt, omnino necessaria est, tutoris autoritas, ut obligetur pupillus, (G) ac generaliter ad ea quæ solennitatem juris, aut animi iudicium desiderant, explicanda, tutore autore opus est. (H)

(G) *in prin. instit. de autor. tut. L. obligari. 9. in. prin. ff. de autor. & consensu tut. vel curat.*

(H) *L. curatorem. ff. eodem. l. pup. 189. de reg. iur. debet autem statim tutor in ipso negotio præsens autor fieri, hoc est, dicere se id probare quod agitur L. 3. ff. de autor. & consensu tut. alioqui post tempus, vel per Epistolam interposita autor. nihil agit. d. l. obligari §. tutor.*

## XXXIII.

Circa administrationem rerum pupillarum, eadem diligentia exigitur à tutore, quam pater famil: rebus suis ex bona fide præbere debet.

*L. à tuto-*

## THESES IVRIDICÆ.

L. à tutorib. 34. l. generaliter. ff. de administrat. & periculo tut.

### XXXIV.

Cæterum ex immobilibus bonis, & ijs mobilibus quæ seruando seruari possunt, nisi causa necessitatis præcedente inquisitione, & subsecuta decreti iudicis interpositione, nihil quicquam alienabit. (1) nec donando aut transfigendo, bona pupilli diminuet. (K)

(1) L. lex 22. C. de administrat. tut L. magis puto. §. non paſſim. ff. de rebus eorum qui sub tutela vel curia ſunt. L. ob aſ. C. de prædijs minorum. L. tutor. 23. ff. eodem. l. 16. C. eodem.

(K) l. non ſolum C. de præd. & alijs rebus minorum ſine decreto non alien. gloss. in l. I. ff. ſi aduersiſ transact. Gail. pract obſ. lib. 2. obſeru. 12I. num. 4.

### XXXV.

Res verò mobiles (vt fructus ex fundo perceptos) quæ seruando seruari non possunt, absque vllâ iudicis cognitione interueniente, diſtrahere potest: (L) imò ſi ceſſauerit ſuum periculum faciet. (M)

(L) ſc. pretio quod in ijs locis, in quibus venditio celebratur, noſ-  
citur obtinere. l. fin. §. fin. C. de adminiſt. tut.

(M) L. tutor. 8. §. ſi tutor. ff. de adminiſt. tut. L. ſi res pupilla-  
res. C. de periculo tut. vel Curat.

### XXXVI.

Item ratione officij ſui tutori etiam incumbit vt ex pupillari pecunia (quæ nunquam otiosa eſſe debet) vel prædia emat, vel annuos census comparet, vel eam in honestam negotiationem collocet, vel mutuò det, vt licitum vel iustum lucrum fecundum loci conſuetudinem pupillus ex ea habere poſſit, alioquin ſi hoc non faciat pupillo ad intereffe damni emergentis, & lucri ceſſantis, tenetur.

L. tutores vel Curat. C. de administrat. Tut. L. tutor. qui reper-  
torium. §. pecunia & L. quoties. ff. eodem L. curabit. c. de acti-  
onibus empti L. 1. & 2. C. de vſuris. pupillaribus.

# THESES I V R I D I C A.

## X X X V I I.

An autem tutor pecuniam pupillarem bona fide sibi mutuò accipere possit? Ambiguum est. Nos arbitramur quod sic.  
per l. non existimo § 4. L. 10. §. non tantum ff. de administrat.  
et periculo Tut. vel Curat.

## X X X V I I I.

Denique finita pubertate, vel alijs modis. (A) tutela,  
Tutores administrationis rationem reddere coguntur, & si  
quid dolose, vel negligenter gestum, vel omissum esse appa-  
reat tutelæ iudicio tenentur. (B)

(A) de quibus institut. quibus modis Tut. fin.

(B) §. fin. instit. de Attil. Tut. et si Hodie singulis annis Ma-  
gistratui requirenti rationem reddere cogantur, per Constit. Ca-  
roli Quinti Augustan. Anno 1548. editam. *In der*  
*Policey Ordnung.*

## X X X I X.

In Tutoribus autem conueniendis, hic ordo obseruabi-  
tur, vt primò, directa tutelæ actione, qui vel proindiviso vel ex  
co nuentione tutelam administrarunt. (A) ipsorum successo-  
res seu Hæredes. (B) & postmodum eorum fideiussores (C)  
conueniantur.

(A) §. fin. instit. de Attil. Tut. L. Diui & L. si duo. ff. de ad-  
ministratione Tut. et toto tit. ff. de Tut. et rationibus distra-  
bendis.

(B) Toto T. C. de hæredit. Tut. vel Curat.

(C) Tot. tit. ff. & C. de fideiuss. et hæred. Tut. vel Curat.

## X L.

Etsi autem minor electionem habeat, fideiussorem, vel  
Tutorem, vtrum velit prius conueniendi: (D) tamen fidei-  
ussorem beneficium ordinis prætendere posse affirmamus. (E)

(D) L. 1. Cod. de fideiussoribus tut. vel curat.

(E) authent. præsente Cod. de fideiussor. et Mand.

## X L I .

His omnibus, si nè sic quidem satisfactum sit Minorū, nouissimo loco subsidiariam actionem aduersus Magistratum, eiusque hæredes, quod vel omnino non, vel minus idoneè caperipassi sint, velut ultimum præsidium consequetur.

*§. sciendum. Institut. de satisd. Tit. L. I. C. de Magistrat conuen.*

*Coronodis loco quatuor hascè Quæsti-  
ones proponere libuit? Qua-  
rum prima est.*

## I.

Vtrum Tutor teneatur præstare autoritatem ad adeundam hæreditatem, ex testamento sui patris, vel Aui in quo ipse (Tutor) fuit exhæredatus, & omittere in officiis querelam?

## II.

Vtrum Ecclesiæ in integrum restitutio, sicut & minorū quadriennio continuo terminetur?

## III.

Vtrum Mater obsecundas nuptias tutelam filiorum amittens, eam, mortuo secundo marito reassumere possit?

## IV.

Vtrum puella nubens, nulla prorsus promissione dotis facta, omnia sua bona marito in dotem dedit se censeatur?

*Priorum duarum quætionum partem affirmantem,  
Posteriorum verò partem negantem tuebimur.*



DOCTVM IVVENEM EBER-  
HARDVM LOYSIVM, HASCE THESES  
DETUTELIS DEFENDENTEM PARAENSIS,  
M. Isaaci Volmari VVirtemb ergici.

**V**idam sunt homines (honore nullo  
Hercle condecorare quos oportet )  
Virtutem positam qui ibi arbitrentur ,  
Si faselia summa sint adepti  
Honorum : an ratione ? quoue ductu ?  
Nil curant . liceat modo tenere  
Fasces imperij , Ducumq; mentes  
Suis nexibus intus implicatas.  
Quibus contigit id , quod aucupanti  
Anguillas : lacus est ubi quietus  
Pisces inde queunt referre nullos :  
At si forte lutum mouere sursum  
Deorsumq; velint , ibi prehendunt .  
Sic & hoc feelus impium virorum  
Si tranquillus erit , placatus atq;  
Status ciuicus , hinc nihil reportant  
Laudis ; commonitis enim probandis  
Suo corde locum dedere nullum .  
Aut miscere datum est ut ima summis .  
Tum demum capiunt nefanda laudis  
Vanæ præmia , opes suasq; adaugent ,  
Salute Imperij interim cadente  
Prorsus . Secula quod docere nostra  
Possunt . ô stolidi parumq; sani

*Rege's , hanc ne fouetis in sinu vos  
Pestem? heu fata ruentis haud precandas  
Mundi! Quos minimè sequere doce  
Loysi rabulas; sed esse maius,  
Restinxisse , ducus putato , turbas:  
Nonas , quam dedecus foret , ciere.  
Sic tutor publicæ rei , & priuatae  
Vera nomina gloria impetrabis.*

*Laus Deo Ter: Opt: Max: Intactaq;  
semper Virginis Mariae*

